

473.

Kaiser Karl V. bestätigt sämtliche der Universität bisher ertheilte Privilegien. Augsburg, [1548.]

Hdschr.: Copiale magnum T. II, fol. 426.

Gedr.: Lehms, historische Beschreibung der weltberühmten Universität Leipzig 81—91 (mit deutscher Uebersetzung.)

5 *Ann.: Ueber die Unechtheit dieser Urkunde s. Zarncke, urkundl. Quellen 551 No. 93.*

Cum imperialem maiestatem ac clementiam pro eo in quod est sublimi loco reposita subditorum omnium tum illorum cum primis, qui quod nostri maiores recte ac pie scriptum reliquerunt honesta omnis generis studia cum maximo vitae periculo suorumque bonorum iactura sectantur et citra quorum operas respublica, cui nos deus opt. max. pro sua benignitate prefecit, nec recte administrari nec recte coherere, imo nec stare diu potest apprime deceat magnam habere rationem, nec satis sit illis aures prebuisse benignas, verum etiam quo fieri potest modo ac pacto illos iuvare et favore singulari prosequi oporteat, et universitatis Lipsiensis nomine rector, decani, doctores et magistri etiam atque etiam vehementer maiestatem nostram rogarint et obtestati sunt, ut dictam universitatem ab inclitis Saxonie ducibus primum exstructam, deinde et beneficiis magnis affectam, temporum tamen iniuria et bellorum huius anni calamitate nonnihil concussam, sed nunc inclyti Mauritii Saxonie ducis, imperii nostri electoris, liberalitate, opere et consilio rursus in pedes erigendam restaurandamque, et preterea omnes tum homines tum res ad eam pertinentes ad hec et iura ipsi debita et congruentia in nostram tutelam, defensionem ac protectionem clementer susciperemus, non indignum maiestate nostra esse duximus, ut quod illi nos rogarunt non solum id impetrent bona nostra gratia, verum etiam ut ipsi ultro talia beneficia in publicas scholas et hanc precipue quae multis hactenus nominibus nobis fuit commendata conferamus. Presentibus itaque nostris iis volumus notum esse omnibus et singulis, quod nos ex causis supra allatis iam ante nominatam universitatem cum omnibus suis personis, edificiis, bonis, privilegiis rebusque universis et singulis ad eam quocunque modo pertinentibus sub nostram sacrique Romani imperii singularem protectionem defensionemque suscepimus et vigore harum literarum in presentia certa ex scientia ac nostre imperialis potestatis plenitudine suscepimus et volumus iubemusque, ut universitas sepedicta non tantum a nemine concutiatur vexeturque, sed et ut in pristino et hactenus habito statu conservetur ac privilegiis antehac illi concessis in summa quiete quam studia requirunt utatur, porro ut et nostrum illa erga se paternum amorem et optimam affectionem (quam erga eiusmodi doctorum hominum habere collegia nos decere et cum primis preclarum esse putamus) experiatur, volumus omnia privilegia, iura, bona, libertates, immunitates, indulta, concessionem, gratias, exemptiones, protectiones a pontificibus et imperatoribus Romanis nostris predecessoribus, ducum item Saxonie auctorum et fundatorum eius schole liberalitate, oblatione ac donatione illi oblata concessaque, preterea omnia alia bona, consuetudines, conventiones et pacta inter universitatem vel ipsius personas et membra pertinentia et respicientia quocunque modo (quorum omnia nomina, cognomina tenorem perinde ac si presentibus